56 II. 343.

UNIVERSITETSBIBLIOTEKET 2. AFD.
4° KB 56 II
2 1 056 2 00179 3

OVERFØRT
fra
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
til
UNIVERSITETSBIBLIOTEKET

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS HAUNIENSIS

Universitetsbiblioteket 2. afd.
Nr. Allé 49 - København N.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
HAUNIENSIS


Biſceglia
Bari
Monopoli
MARE
Conuerſano
Ostunio
PUGLIA
Putigliano
S.Vito
Brindesi
Grauina
Matera
Mottola
Oria
OTRAN-
TO
Lecce
ADRIA
TICUM
Taranto
Noia
Nardo
Otranto
Gallipoli
Aleſsano
S.Maria
Genosa
MARE
IONIUM
Tarantula Mas.
Ovarium
Tarantula fœmina.

D. D.

EXERCITIUM PHILOSOPHICUM

DE

TARANTULA,

QUOD

Indultu Ampliſſ: Collegii Philoſophici

In Regia Upſalienſi Academia,

Sub Moderamine

PATRIS SUI CARISSIMI

Mag: HARALDI VALLERII

Math: Prof: Reg: & Ord:

In Aud: Guſt: Maj: d. VII Maji, Anno MDCCII,

Publicæ cenſuræ ſubmittit

GEORGIUS VALLERIUS

Filius.



UPSALIÆ.

SÆ. RÆ. MTIS.
SUMMÆ FIDEI VIRO,
SENATORI,
ATQUE
CAMERÆ REVISIONIS
PRÆSIDI SUMMO,
NEC NON
SERENISS: REGINÆ AVIÆ
GUBERNATORI,
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE
COMITI ac DOMINO,
DN. CAROLO
Gyllenſtierna/
Comiti in Stenинge/
Libero Baroni ac Domino in Lñare/
Yxelöhoff/ Örewalla/ &c.
LITERARUM PATRONO
PROPENSISSIMO.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
HAUNIENSIS

MAxime Pieridum Mæcenas ſplendida Genti
Gloria Svediacæ; Septem AVREA STELLA Trionis
Ignoſcas, tremulo pede quod jam, ſpeque metuque
Hæc noſtra huc illuc agitata, Tarantula tanti
Audeat Herois ſublimia tecta ſubire:
In primis, dum tanta premunt Te pondera rerum,
Et Tua diſcruciant, mordacibus anxia curis,
Pectora Bellonæ furialia cæde tepentis.
Arma, foris noſtræ Patriæ infeſtantia fines;
Neſtoreisque levas operoſa negotia REGIS
Conſiliis, Patriaque facis florere Penates.

Sed mihi Te facilem ſpondet, frontemque ſerenam,
Ille Caballini vigilantes fontis alumnos
Complecti ſolitus favor; &, documenta Camœnis
Millia quæ exhibuit, Virtus Heroïca, noſtris.
Adſpice propitius teneræ conamina mentis,
Et facili nutu fac non temeraria dici.
Sic placidam Superi vitam, ſic læta ſecundis
Fata dabunt rebus; mortalis munere vitæ
Donec adimpleto, ſaturum Te gloria dicat
Ætatis, nitidamque ſuis Te accenſeat Æther
Sideribus ſtellam, quæ æternâ luce coruſcet.

Illuſtriſſimi Celſiſſimique
Nominis Tui

Cultor ac cliens devotiſſimus
Georgius H. Vallerius
A. & R.

Ad ingenioſum Adoleſcentem

D^N. GEORGIUM VALLERIUM

Optimi Parentis

Optimum Filium.

Quidquid id eſt virus, quod didit
aranea morſu
Nota Tarẽtinis, vel, puto, nata jugis;
Vulneraque aſſiduis (mirum!) ſanata
choreis,
Et melicis pelli poſſe venena modis:
Eſt juvenum quædam teneræq; Ta-
rantula mentis,
Quam tua mens Muſis pulcre agita-
ta domat.

feſtinantiſſime

JOHANNES UPMARCK.

Literis Moribusque Politiſſimo Juveni

DN. GEORGIO VALLERIO

De

TARANTULA

Egregiè diſputanti.

Miram illam animi Tui ſuavitatem, Amice jucundiſſime, ſemper diligo: & certè ſi mentem ipſam liceret inſpicere, quàm pulchram faciem, quàm ſanctam, quemadmodum de viro bono Seneca loquitur, omnibus oſtenderem aſpectu perjucundam. Sed neque hanc iſthac occaſione laudare ſuſtineo; neque de acerrimo Ingenio Tuo heic loquor; quippe quia id plurimi dudum intellexerunt; plures autem ex diſputatione hac elegantiſſima cognoſcent: quorum optimi quique aptè, puto, illud Silii de Piſone Tibi acclamabunt.

Ore puer puerique habitu, ſed corde ſagaci
Æquabat ſenium - - - - -

Digna ſane hæc ſunt, quorum nomine meritis laudibus evehereris, Amice optime; ſed quæ ipſa Tibi honorem & gloriam multo, quam dicere poſſum, majorem olim conciliabunt. Nam famam & nominis immortalitatem Muſæ largiuntur: at virtus ſola gloriam; cui amplius quiddam & illuſtrius ineſt, quod animo facilius complectimur, quam linguâ exprimimus. Itaque, quæ perrarò uſu venit, & hoc intuitu, majori admirationi eſſe ſolet, felicitatem Tibi chariſſimisque Fratribus Tuis communem amplector & exoſculor. Scilicet prorſus ſingulare hoc eſt, & benigniſſimi munere Dei factum, quod ſub Moderamine & Præſidio Optimi Parentis Optimi Filii *Tres* diligentiæ & induſtriæ ſpecimina optima publice dederint, laudeſque ſummas; imo ex parte præmia uberrima reportarint. Tu velim, dicas, Amice ſuaviſſime, utrum ex hoc natum gaudium præponderet, Parentum Ampliſſimorum, an veſtrum Fratrum dilectiſſimorum. Scio certamen eſſe maximum honeſtisſimumque; ita ut qui obſequium debent, & in ceteris cunctis præſtant, hoc uno pertinaces ſint, & monitum illud juſtisſimum, *Cede majori*, injuſtiſſimum judicent. At tamen pro parte priori id pugnare arbitror, quod amor deſcendere, non aſcendere, proverbio veriſſimo dicatur: unde quo quis impenſius amat, hoc ad fortunam rei amatæ gratatur vehementius. Sed, uti dixi, Tuum erit iſthanc componere litem. Interim benè valeas, & quæ Tibi placent, ea Deus immortalis approbet, honeſtiſſimique conatus Tui omnes proſperè eveniant!!

O. RETZELIUS.

I. N. J.

CAPUT PRIMUM
Hiſtoricum
DE
Tarantula & Tarantiſmo.

THES. I.

R*Es eſt blanda canor*; ſcitè admodum ac commodè dixit olim Poetarum facilè princeps Naſo, Art. Am. lib. III. 315; intuitus ſcilicet ſummam Muſicæ ſuavitatem ac dignitatem, illam non immeritò à veteribus τὸ πᾶν, vel etiam πάντων ἀρχὴν dictam fuiſſe intellexit. Hac enim quid præſtantius, quid antiquius? quippe cum illa ſit, quæ maximam in mentem noſtram vim habet; quæ mores componere ac variare poteſt; quæ languentes incitat, & excitatos facit torpentes. Unde veteribus pro more fuit, hodieque etiam uſu receptum eſt, ut, in ſolennibus ac celebribus

 actibus,

actibus, illa, tamquam divinum quid adhibeatur. Hæc enim eſt, quæ, ubi ſacra inſtituenda, cultus divinus auſpicandus, ac Deo eſt ſupplicandum, inſignem in nobis religionis ac pietatis affectum excitat. Hæc eſt, quæ, ſive epulas pauló lautiores inſtituamus, ſive cum familiaribus noſtris convivia aut nuptias frequentemus, maximo nos gaudio ſummâque lætitiâ afficit, ſibique dignitatis convivii partem maximam attribuit. In actibus funebribus, mœſtis ac luctuoſis, ad triſtes ac lugubres in nobis affectus movendos, Muſicâ quid aptius? Prœlium quando eſt ineundum, ſtrictisque gladiis in hoſtium turmas irruendum, nihil eſt, quod magis animos militum excitat, quàm ſonorus tubarum ac tympanorum bellicorum clangor. His quoque accedit, quod tot ciendis affectibus inſerviens Muſica, in certiſſimam etiam morborum medicinam adhibeatur; cujus rei exemplis jam afferendis, prolixum eſſe hìc me tantò decet minus, quantò illud certius ex TARANTVLA noſtrâ ac TARANTISMO cōſtat, quæ leviter, pro ingenii mei tenuitate, exponere propoſui. Heic verò quoniam tria præcipuè conſideranda occurrunt, Hiſtoria ſcilicet Tarantulæ ac Tarantiſmi; ſanationis rationes phyſicæ; & denique modus melodias Tarantatis convenientes canendi, Diſſertatiunculam etiam hanc in totidem diſpeſco capita. Primùm igitur ad Hiſtoriam quod attinet, illam, qualis hìc exhibetur, cum omnibus ſuis circumſtantiis, quotquot potui, ex variis Auctoribus partim collectis, partim verò per ipſorum verba expoſitis, contexi, eò minus de illius veritate dubitans, quò mihi firmius fuit propoſitum, nihil hìc eſſe apponendum, quod non plures ſimul confirmarent Auctores.

THES. II.

TARANTULA, alioqui etiam Rutela, Taranta, Soliſuga, Salpunga appellari ſolita, araneus eſt venenoſus, ſeu Phalangium in Apulia Italiæ regione, tactu peſtilens & æſtivo tempore maximè venenatum; etiamſi primo conſpectu futile, &, pro corporis exiguitate, nullis ad nocendum viribus inſtructum eſſe

videatur. Corpus ejus, pilis undique veſtitum, magnitudinem glandis exæquat, vel potius ſuperat. Dividitur illud in duas præcipuè partes, thoracem & ventrem. Caput cum thorace & humeris continuum, duo tela, forcipi hamatæ ſimilima, emittit, quibus mox ſuccedunt duæ antennæ, quarum extremus apex apud feminas acutior eſt quàm mares. Octonos oculos ſuperior capitis pars habet, in dimidii velut circuli curvatura diſpoſitos, majores alios, alios minores, & vix nudo oculo conſpicuos. Quatuor ex utraque thoracis parte prodeunt pedes, ſinguli tribus diviſi internodiis, quibus, ut apud nos pulices, aſſultim ingreditur. Venter variis coloribus ac maculis in aliis aliisque Tarantulis diſtinguitur, &, non ſecus ac in aliis araneis, in feminis multò magis turget, quàm in maribus.

Ceterùm patent hæc melius ex iconiſmo ſuperius appoſito; ubi ſuprema figura partem Apuliæ urbesque, in quibus animal hocce maximè invenitur, exhibet; proxima Tarantulam marem; tertia ovarium biſectum ac apertum, ubi ova conſpiciuntur; infima deniq; Tarantulam feminam repræſentat. Hæc autem Tarantulæ effigies, quin juſta ac vera ſit, nullus dubito; quoniam eam partim ex variis Auctoribus, qui ejus iconem nobis exhibent, collegi; partim verò ex iis, qui apud exteros animal hoc mortuum licet, & aridum ſuis uſurpârunt oculis, accepi, eoque modo ſummâ cum curâ eandem ſecundum ſingulas partes delineari ac æri incidi curavi.

Harum porro variæ ſunt ſpecies; aliæ enim corporis magnitudine, aliæ colorum diverſitate differunt; ſuntque aliæ nigræ, aliæ ſubcroceæ; aliæ cinericeæ, albis nigrisque maculis; aliæ dorſo cinericeo, rubris ac viridibus diſtinctæ maculis; aliæ majores mole, fibris nigris ex cinericeo rubroque emicantibus; aliæ ſubinde virgulis undatim per corpus porrectis.

Inveniuntur quidem Tarantulæ hujusmodi in Calabriâ, Siciliâ, Sardiniâ, campis Romanis aliisq; locis, nusquam tamen tantâ copiâ, tantâque nocendi vi & peſtifero veneno, ac in Apulia Italiæ regione, circa urbem Tarentum, cui etiam nominis

ſui originem debent. Hinc itaque legimus, eam eſſe hujus regionis conſtitutionem, & cum Tarantiaco veneno ſimilitudinem, ut, quod fidem pæne excedit, Tarantulæ Apulæ, alioqui noxiæ, ex Apulia, in alias translatæ regiones, nihil minus quàm venenatæ ſint.

Æſtivo tempore, diebusque canicularibus, magna eorum copia invenitur, ac tum à flagrantiſſimis Solis radiis venenum earum maximè exaltatur, ipſæque, non aliter ac canes, feles lupique, aguntur in rabiem; unde morſus earum tunc admodum fit noxius & venenatus: hieme autem rarò admodum conſpiciuntur, &, ſi tum aliquæ apparent, minimè pernicioſæ aut exitiales ſunt. Illæ enim, non aliter ac alii aranei, muſcæ, bruchi, veſpæ, ſcarabæi & ſimilia alia inſecta, breviſſimæ ſunt vitæ, &, frigore hiemis adveniente, quaſi emoriuntur, calore verò æſtivo iterum reviviſcunt.

Præter hæc, ſi omnes inter ſe comparemus Tarantulas, eas non unius eſſe naturæ, ſed ſingulas illarum aliam atque aliam humorum venenique conſtitutionem habere, non conjicere tantùm, ſed clariſſimè etiam probare poſſumus, exinde quod variis rebus variè eas affici inveniamus. Aliæ enim aliis aliisque coloribus moventur; adeo ut uni rubrum, alteri viride aut cæruleum, aliisque alii placeant colores. Quippe experientiâ conſtat, eas in planis diverſe coloratis poſitas, id planum appetere, quod ipſis colore ſimile eſt; pari ratione alias aquis gaudere, iisq; flumina & ciſternarum crepidines arridere legitur.

Denique ante omnia notatu maximè eſt dignum, Muſicam in iis miram prorſus vim habere; quippe cum peculiari experimento conſtet, eas auditis certis inſtrumentis cantilenisque, pro veneni ſui humorumque varietate, ſibi proportionatis, frequenti pedum ſubſultatione, totiusque corporis agitatione, ſaltationem non affectâſſe ſolùm, ſed verè etiam ad numeros harmonicos, & ſingulas tactuum battutas ſaltâſſe, ſaltumque, quamdiu inſtrumenta ſonaverint, continuâſſe, iis verò ceſſantibus, illas etiam quieviſſe.

THES. III.

THES: III.

Porro, Tarantulæ noſtræ in agris, pratis ſilvisque frequẽtes numero verſantur, ubi partim inter arbores fruticesque degentes, partim verò inter ſegetes, ac in ſulcorum rimis æſtu dehiſcentibus latitantes, eodem prorſus modo ac aranei noſtri, retium texendorum laboribus incumbunt. Quâ in re tanta earum eſt induſtria, ut planè ad Geometriæ leges illam conficere videantur; quippe cum tereti filo æqualia deducant ſtamina, ac à centro ſeu medio incipientes, exactè circinato orbe tegmina connectant. Unde etiam Ariſtoteles phalangium hocce ζῶον σοφώτατον appellare non dubitavit, cum naturam in tam abjecto animalculo Geometriæ ac Muſicæ leges tam arctè conjunctas voluiſſe vidit.

His in locis, ſi fortè eo tempore, quo maximè ardore Solis venenum earum fervet, ruſticos, hortulanos, meſſores aliosque ejus generis homines offendant, illos mordent, cum ſub dio ac in campeſtribus locis, ocreis & manicis non muniti, dormiunt vel opus faciunt. Pars autem corporis, Tarantiaco iſthoc veneno affecta, nunc dolore, interdum ſtupore inſigni afficitur, circulo livido, nigro aut ſubflavo inducto; &, licet morſus primùm adeo parum ſentiatur, ut non niſi ſimplex muſcæ aut apis punctura eſſe videatur, paulò tamen poſt in tumorem, acerbiſſimum dolorem commoventem convertitur.

De morbo, qui morſum hunc ſolet conſequi, & à nomine Tarantulæ *Tarantiſmus* nuncupari, inter Auctores non convenit; Kirckerus enim, Sengverdus & Oldenburgicus venenum Tarantularum adeo viſcoſæ ac tenacis naturæ eſſe contendunt, ut non niſi poſt anni peractam revolutionem, calore Solis redeunte, variè motum, concoctum & ſubtilius redditum operari incipiat, inducendo, ante ipſum morbum bimeſtri ferè ſpatio, dejectionem appetitus, febres ardentes, καχεξίαν aliasque paſſiones, quas deinde varia ſymptomata, ut ex ſequentibus patebit, conſequuntur. Omnes autem alii Auctores, quotquot mihi innotuerunt, unanimi conſenſu adfirmant, tantam vim in-

 eſſe

eſſe veneno, ut, niſi, paucis elapſis horis, poſtquam vulnus eſt inflictum, celeri remedio ei occurratur, ſtupor exitialis primò, mox certa nex ſubſequatur.

Patientes ſeu ægri, *Tarantati* dicti, ingenti cordis angore corripiuntur; tumor ac pruritus accedit; frigiditas totum occupat corpus; venter inflatur; pudenda dolent, ac urinæ curſus impeditur, tandemq́; melancholia oritur; &, ut totum verbo complectar, eadem hîc, ac in maligna febri obſervantur ſymptomata. Verùm falſò nonnulli opinantur, morbum hunc à Tarantulæ dependere vitâ; quippe cum experientiâ conſtet, Tarantulam mordentem in ipſo occiſam fuiſſe vulnere, Tarantatum verò multo poſt tempore morbo hoc laborâſſe.

Hæc verò de Tarantiſmo jam allata, non quibuslibet accidere Tarantatis ſciendum; quoniam pro variâ humorum conſtitutione in Tarantulis, à quibus vulnus infligitur, proque Tarantatorum, cum læduntur, diſpoſitione, nunc uno, nunc altero illos affici malo experientia loquitur. Eorum enim alii rident, alii plorant, quidam blaterant, alii omnino ſilent; ſicut hic dormit, ille perpetes agens vigilias diſcurrit; hunc gaudium, alacritudo, motus; illum triſtitia, deſidia, torpor afficit. Præterea alii perpetuò canunt ac clamitant; alii ſaltant; plerique vomitionibus laborant; ſunt qui ſudant, quique tremebundi fiunt; quidam pavoribus infeſtantur, aliique alia patiuntur incommoda. Accedit etiam, quod Tarantati, veluti aliquantulum de Tarantulæ ſe mordentis naturâ participare videantur, eò quod, qui à Tarantulis, certos colores amantibus, ſunt læſi, iisdem etiam coloribus afficiantur; iis verò, quos aquâ gaudentes Tarantulæ momorderunt, aqua placeat; adeo ut ſint, qui, accepto vitro aquâ repleto, pugiles agere videantur, inque conchis aquâ plenis, & viridibus herbis exornatis, ſe mergere velint. Inveniuntur etiam, qui milites, qui duces, gubernatores ac reges ſe eſſe, & cunctis imperare arbitrantur; nonnullos quoque legimus pugiles, alios concionatores agere: atque eſſe, qui captivitatis imaginatione contriſtantur, & in ner-

vo ſe jacere fingunt. Adeo itaque, *ut non una hominum ebrietas eſt, ita nec horum inſania.*

THES. IV.

His jam leviter conſideratis, ad remedia, huic malo mederi ſolita, nos accingamus, neceſſe eſt. Solent autem Medici, pro mali ſymptomatumque conditione, in remedia, præter Theriacam, Mithridaticum, Bezoarticum pulverem, alia etiam antidota, ut butyrum cum melle, radicem croci cum vino, viridia lentiſci grana, & ſexcenta talia adhibere; quæ ſingula enumerare jam ſuperſedeo. Verùm ejusmodi medicamentis malo huic occurri vix poteſt, niſi ad Muſicam harmonicasque modulationes, quibus vera hujus morbi antidotus debetur, ſe Medicus convertat; illis enim auditis Tarantati, qui, præ morbi vehementiâ, ſemianimes mortique proximi videbantur, animos ſtatim colligunt, & in tripudia choreasque prorumpunt. Unde Epiphanius Ferdinandus ſenem XCIV annorum adeo debilem, ut non niſi ſcipioni innixus ambulare poſſet, commorſum à Tarantulâ, auditâ muſicâ, velut capreolum ſaltâſſe ac tripudiâſſe teſtatur.

Hoc verò in negotio maxima Muſicorum requiritur induſtria & longa experientia. Sicut enim ante indigitavimus Tarantulas ſingulas, certis harmoniis inſtrumentisque, pro differentiâ ſuæ ſpeciei moveri; ſic etiam Tarantatis, pro variâ diſpoſitione veneni Tarantulæ, à quâ ſunt læſi, certi moduli certaque inſtrumenta placent; omnes tamen in eo ut plurimum conveniunt, quod velociſſima ſonorum modulamina deſiderent, quibus inſtar amentium concitantur & moventur. Nec aliter quàm homines à canibus rabioſis morſos aquam fugere, & veluti latrare, adeoque etiam aliquid de canum naturâ induere, ejus rei periti teſtantur; Tarantatos etiam per ſimilitudinem quandam naturæ cum Tarantulis, à quibus ſunt icti, iisdem modulationibus, ac illas, affici invenimus.

Hinc itaque cytharedæ, qui, etiam publicis magiſtratus ſtipendiis, ad pauperum curas ſolatiumque conducti, huic malo

mederi

mederi conſveverunt, ad remedium muſicâ ſuâ ægro certius faciliusque accelerandum, à Tarantatis locum, ubi læſi ſint, ac Tarantulæ mordentis qualitates ſciſcitantur, iisque notis ad indicatum locum tendunt, variasque Tarantulis præcinunt melodias. Tum verò non quævis Tarantulæ quovis concentu, ſed ſingulæ ſibi proportionatis harmoniis excitantur; cantilenam autem, quam indicatis Tarantulis placere, quâque auditâ ſaltare eas cytharedæ inveniunt, mox ad ægros reverſi, illis præcinunt, & ſic præſentiſſimum eis adhibent remedium. Illi enim, quando modulos ſibi proportionatos cani audiunt, etiamſi lecto detineantur moribundi, nec ingredi, nec fari, nec aliquo ſenſu frui valeant, mox tamen, velut è gravi ſomno exciti, oculos parumper attollunt, caput, manus & pedes levi quodam motu concutiunt, & magis magisque motum augendo, tandem in vehementem prorumpunt ſaltum.

Hoc autem non hominibus ſolùm à Tarantulâ ictis, ſed brutis etiam hocce vulnere affectis, contingere, Epiphanius Ferdinandus teſtatur; refert enim ſe vidiſſe veſpam gallumque à Tarantulâ morſos fuiſſe, &, cum fortè ibi eſſet Muſicus, qui citharam pulſaret, tam Tarantulam, quàm gallum & veſpam ſtatim ſaltâſſe ac tripudiâſſe.

Verùm ad rem redeo. Tarantati muſicâ ad ſaltum incitati, varios ridiculosque corporis motus ac geſticulationes inter ſaltandum fingunt; viri enim ac matronæ honeſtiſſimæ poſtpoſito omni decore, ruptisque omnis modeſtiæ vinculis, ſcurriliter ſaltant, variosque corporis motus mentiuntur. Alii enim gladio evaginato ſaltant; alii gladiatores agunt, &, nunc corpus flectendo, nunc feriendo, nunc membra declinando, omnes pugilum artes ritè imitari videntur. Hic vero maximè eſt notabile, omnes exactè ſervatâ pſallendi lege ingredi, & ſingulos ſuos motus ad tactum pulſusque muſicos componere, ut rudes quilibet ac ignavi ſaltandi modum didiciſſe videantur.

Præterea etiam teſtatur experientia, ſi, quâcunque de cauſa, tibicines muſicam intermiſerint, priusquam mali fomes fu-

erit extractus, ægrotos animo linqui, & omni ſenſu deſtitui; dum verò cantilena iterum cani incipit, eos acrius in choreas priſtinas inſurgere. Hinc quoque tibicines alternatim mutantur, ut ſine ullâ ſonitus intermiſſione, tamdiu tripudient demorſi, quousque curati penitus quieſcant.

Hoc modo ſaltabunt ægri, donec, viribus nimio motu fatiſcentibus, terræ illiſi procumbant, ubi exanimes quaſi jacentes antidotis vinoque refocillantur, usque dum, viribus iterum reparatis, priſtinos inchoent ſaltus; quibus, ad tertiam, quartam aut plures defatigationes, noctu ac interdiu, per triduum aut quatriduum continuatis, ſpiritus tandem, motu vehementiſſimo agitati, venenatæ materiæ vim ſuperant, & ſic cum morbo conſtituuntur induciæ.

THES: V.

Verùm enimverò quoniam venenum hoc, altè corpori infuſum, unius anni ſaltu facilè expelli nequit, morbus hic ſtatis temporibus, maximè æſtivo calore redit; & tum iidem ſaltus, ad melodiam ægris convenientem, ſunt repetundi, donec tandem tota vis veneni expurgetur, & perfecta conſequatur ſanitas. Redeunte autem morbo, niſi per conſvetas choreas illi occurratur, ægroti, ubicunque inveniantur, concidunt velut apoplectici & aphoni, cum denigratione faciei & externorum, totoque illo anno miſerrimè vitam agunt. Unde pauperes, qui hoc morbo laborant, ſcientes ſe, niſi tripudient, peſſimè toto anno habituros, anno in æſtatem vergente, ſibi de pecuniis proſpiciunt, quibus Muſicos, per totam Apuliam paſſim vagantes, & hoc negotio multùm lucri facientes, conducant. Nos verò non negamus, unius anni ſaltationem, ſi tamdiu, ac opus fuerit, illam continuare valeant ægri, perfectæ reſtituendæ ſaluti ſufficere poſſe.

Verùm per hos ſaltus non omnibus ſanitas reſtituitur; quippe cum reperti ſint, qui 30 aut 40 annos hoc modo ad obitum usque tripudiârint, nec tamen penitus malo hoc privari potuerint; quod tamen adeo eſt rarum, ut, etiamſi malum hoc,

niſi juſta afferantur remedia, lethale eſſe poſſit, inter mille tamen vix duos reperire liceat, qui, convenienti muſicâ adhibitâ, moriantur.

Ceterùm ſufficiant jam hæc hiſtoricè de Tarantula ac Tarantiſmo allata; nunc ad rationes eorum, pro ingenii tenuitate afferendas, properandum. Hac verò de materiâ qui ulterius ſe certiorem facere geſtit, Kirckerum adeat, Paſcium, Aldrovandum, Jonſtonum, Scottum, Sturmium, Sennertum, Oldenburgicum, Plinium, Moufetum, Alexandrum ab Alexandro aliosque; è quibus tamen, quoniam illi hoc in negotio mihi inſervierunt, præcipuas excerpſi circumſtantias; ideoque etiam illos heic nominare, quàm ſingulis locis, ab illis paſſim deſumtis, adſcribere conſultius duxi.

CAPUT SECUNDUM
Phyſicum,

Rationes reddens eorum, quæ ſuperius ſunt allata.

THES. I.

PAucis hîc verbis nos facilè expedire poſſemus, ſi totum hoc negotium adſcriberemus *antipathiis* ac *ſympathiis occultisque qualitatibus*, ſive potentiis naturalibus abſconditis & latentibus, quæ proprietate abditâ agant, & ſolâ experientiâ deprehendantur. Verùm, cùm extra dubium ſit, omnes operationes naturales fieri per motum & reales particulas, quæ per mutuum contactum in ſeſe agunt, hac ratione Tarantulæ noſtræ vim venari conabimur.

THES. II.

Quod igitur de Tarantulis noſtris legimus, eas nusquam, adeo, ac in Apuliâ, inveniri venenoſas, attribuimus, partim æſtivo Solis calori, qui diebus canicularib9 planas iſtas ac patentes regiones maximè adurit; partim verò peculiari regionis iſtius

diſpoſitioni, quâ inſecta hæcce venenatâ ejusmodi vi per effluvia ſua inficere poteſt. Horum enim tantam copiam vi Solis, & ſubterranei ignis calore terra exhalat, &, inſtar ferventis ollæ, continuò tam denſos ejaculatur vapores, ut illis, procul dubio, animalium hujusmodi conſtitutio inſigniter immutari poſſit; unde etiam Etmüller Diſp: de morſ: viperarum cap: 1. pun. 2. §. 4. illas *pluribus in locis veneno, & venenandi vi carere, easque mutari tantùm occaſionibus locorum, cæli, victuum &c.* docet

Quod autem hyberno tempore mortuæ ferè reperiantur, & æſtivo redeunte calore iterum reviviſcant, eximia apud eos frigoris impatientia in cauſa eſt. Tota enim earum vita in motu ſangvinis & ſpirituum conſiſtit, qui, æquè ac in aliis inſectis, valde ſubtiles, minuti ac delicati, minimo calore vel frigore adveniente, ſtatim moveri incipiunt aut deſinunt, & facili negotio vitam aut mortem illis adferunt. In genere enim corpora omnia tenuiora terreſtria ad motum multò facilius incitari, & ſemel mota ab aliis particulis citius ſiſti novimus, quàm craſſiora. Ceterùm cauſa, cur, hieme interdum inventæ, noxiæ tamen non ſint, ex veneni earum naturâ petenda eſt, quam optimè ſequentibus verbis deſcribit Auctor anonymus in Monde Naiſſant Sect: III. pag: 250 inquiens: *C' eſt à cette diſpoſition* (loquitur autem de ſpiritibus inſectorum) *qu' ont ces eſprits à ſe fermenter ainſi promtement, & à acquérir par cette fermentation ſoudaine, une ſubtilité, & une agitation extrême, qu' il ſemble que l' on peut attribuer avec beaucoup de raiſon la cauſe de ce que la pluspart de ces reptiles ſont venimeux; y ayant beaucoup d' apparence que leur venin n' eſt rien autre choſe qu' une ſubſtance fluïde, tres délicate, & extrémement pénétrante.* Tarantulæ enim formaliter venenoſæ non ſunt, nec intrinſecè reconditum quoddam venenum habent, ſed tota earum nocendi vis, quæ ut plurimùm peculiari cuidam veneno ſolet adſcribi, illis tantùm accedit, cùm, urente caniculâ, à ſpirituum extremâ ſubtilitate ac inflammatione, humorum immodicâ ebullitione

bullitione ac inſvetâ turgeſcentiâ, ſangvinisque nimiâ efferveſcentiâ in rabiem vertuntur.

Hac ratione cùm ad motum rapidiſſimum humores excitantur, ſi per morſum, puncturam, aliove quopiam modo animali cuidam communicentur, fermenti ſuſtinent vicem; adeo ut tum, ſi vel minima quædam eorum pars alius corporis ingrediatur poros, brevi temporis ſpatio totam ſangvineam maſſam iisdem, ac illis competunt, motibus inficere, eodemque modo diſponere ac fermentare poſſit. Heic igitur locum habent citati modò Auctoris verba, cùm pag: 251 dicit, *dès auſſitôt qu' elle* (ſc. materia) *trouve le moindre jour pour entrer dans le corps des autres animaux, s' y répand incontinant, en diſſipe les eſprits, en agite, & en corront les humeurs, en arrête, ou en trouble les mouvemens, & en ruïne de fond en comble l' œconomie.*

Quod verò omnium non ſolùm animalium brutorum, ſed hominum etiam morſus, quando hujusmodi ſangvinis efferveſcentiâ abundat, maximè ſit noxius & pernitioſus, hîc oſtendere opus non eſt, ſed B. Lectorem potius ad Diſp: Etm: de morſ: vip: 1: 5: 6. remitto, ubi clariſſimè demonſtrat, venenata quælibet animantia aliàs innoxia eſſe, iræ autem percita œſtro & furore correpta, ut rabioſæ noſtræ Tarantulæ, maximâ nocendi vi pollere.

THES: III.

Porro, ad diverſitatem colorum, quibus varias affici Tarantulas diximus, quod attinet, ratio eſſe videtur, vel quod, pro variâ humorum in hisce inſectis conſtitutione, oculorum earum tunicæ, & inprimis retiformis, variè tendantur, &, pro variâ ſuâ tenſione aut remiſſione, fortiori aut debiliori luminis motui recipiendo coaptentur: vel quod ex octonis animalculi hujus oculis tam varia radiorum fiat reflexio & refractio, ut illis recipiendis omnes pares eſſe non poſſint. Ex varia enim radiorum modificatione, inumeros provenire colores ac colorum mixturas, extra omnem eſt controverſiam. Nec abſonum videtur in

ſingulis

ſingulis Tarantulæ ſpeciebus aliam eſſe poſſe oculorum diſpoſitionem, cujus vel minima quædam variatio in humorum figurâ, incredibilem producere poteſt colorum diverſitatem. Accedit etiam, quòd, cùm ſingulos colores alios ſpargere odores, à vero alienum non eſſe videatur, ex olfactu eandem hancce varietatem provenire poſſe valde credibile ſit.

Ceterùm, quod aliæ aquis, aliæque aliis afficiantur rebus, ex diverſâ effluviorum cum cerebri diſpoſitione atque ſpirituum conſtitutione, horumque omnium cum objectis convenientiâ, ac ſimilibus utrobique partium motionibus, fluere non immeritò credere poſſumus; ad particulares verò cauſas hoc in negotio deſcendere non audemus, quoniam ad hoc ipſum organorum in animalibus hisce perfecta requiritur notitia, cujus experientiâ nos planè deſtituimur, nec ab Auctoribus ante adductis id ipſum colligere potuimus.

THES. IV.

Quoniam ante oſtendimus venenum Tarantularum in humorum ebullitione eſſe ſitum, clarum utique eſt, quod, cùm Tarantulæ *ore lædant humidiore, per aperturam morſu factam ſubſtantia venenoſa, conſiſtens in humido ſalivoſo, inflammatione ejusmodi, pariter ac reliqui humores, infecto, ex corpore Tarantularum, corpori icti communicetur*, ut loquitur Old. Act. Phil. Anni 1668. menſ. Apr. Illa verò ſtatim ac corporis poros eſt ingreſſa, ſpiritibus humoribusque miſcetur, & cum circulatione ſangvinis totum pertranſit corpus, illudque ſimili inficit inflammatione. Licet enim vel minima quædam fuerit ſalivæ portio, quæ per morſum infunditur, illa tamen, inſtar fermenti, totum corpus citiſſimè corrumpere poteſt, ut meritò læſionis hujusmodi primariam cauſam iræ ac furori animalis rabidi, ſecundariam verò ſalivæ fermenteſcenti adſcribere queamus.

His notis in propatulo ſtatim eſt ex ſimili in animali lædente ac læſo ſangvinis inflammatione ac efferveſcentiâ eſſe, quod Tarantati noſtri, non ſecus ac alii omnes à furioſis morſi animantibus, exactè imitentur animalium rabidorum ante læ-

 dentium

dentium mores & actiones. Ex eadem enim ſangvinis humorumque conſtitutione in Tarantulis Tarantatisque, ſimilis oritur venarum, nervorum, muſculorum membrorumque tenſio & remiſſio; unde fit ut Tarantati, non tantùm easdem imitentur actiones; ſed etiam iisdem afficiantur coloribus, ac Tarantulæ illos mordentes, deque earum naturâ, veluti aliquantulum participare videantur.

De Tarantatis itaq; diximus, quod ob Tarantularum morſum in furorem ac inſaniam vertantur, ubi *ſangvis per fermentationem nimiam & præternaturalem ultra modum efferveſcit, & turgeſcentiâ ſpumoſâ rarefactus, vaſa diſtendit, pulſum celeriorem excitat, & , velut liquor ſulphureus incendio concepto, calorem adurentem quaquaverſus diffundit.* Hinc cum Sturm: Phyſ: cap: IX. pag. 472 facilè aſſerimus hoc pacto nunc intumeſcentiam, nunc deliria, ſpaſmos & convulſiones è ſpirituum vago & effuſo ſine moderamine diſcurſu oriri; his continuatis corporis horrorem & frigorem, lethargumq; ſuccedere, & ex arroſione membranarum in ventriculo, inteſtinis, veſicis alia atque alia oriri ſymptomata.

Diverſos autem ægrotorum noſtrorum geſtus, quorum in Cap. I. Th. III. facta eſt mentio, variis deberi circumſtantiis exiſtimo; Primò enim illi generaliter ex inclinatione naturali dependere videntur, adeo ut, qui ad bella, ſaltationes, amores, ſomnos, magnanimitatem, timorem & ſimilia talia naturali quodam impetu feruntur, affectus ſuos hoc correpti malo apertius oſtendant; non ſecus ac ebriis plerumque contingere notum eſt. II. Non geſtus ſolùm, ſed ipſe etiam Tarantiſmus, quà vehementiam ſuam inſigniter variari, & ſymptomata augeri vel minui poſſunt, ex veneni infuſi copiâ ac violentiâ, ut & Tarantularum magnitudine & diverſitate. III. Si læſum ſubjectum meticuloſum fuerit & pavidum, venenum morſu communicatum multùm exaggerat, & diffuſioni in totum corpus portas aperit; contrarium verò fit, ſi animoſum ac intrepidum fuerit. IV. Præterea vehementiores aut remiſſiores

ſunt

ſunt effectus, prout læſus, quà maſſam ſangvineam, recipiendo veneno ſo fermento magis aut minus fuerit accommodatus. V. Pro ratione etiam *loci, qui pungitur, malum nunc periculoſius, nunc mitius eſt; qui enim in loco, ubi vena, arteria vel nervus ſubjectum ſit, morſus fuerit, gravius laborat, quàm qui in carne ſolùm morſi ſunt, cum hoc modo partibus principibus venenum facilius communicetur.*

THES: V.

Ex his jam allatis cauſis, & maximè poſtremis tribus eſſe etiam videtur, quod venenata hæc vis nunc tardius, nunc citius per corpus ſpargatur; cui etiam rei inſervire videtur demorſi calor & frigus; multò enim celerius ſangvis circulatur, &, per conſequens venenum per corpus diffunditur, ſi calidum, quàm ſi frigidum fuerit vulneris ſubjectum. Nonnihil etiam ad hanc rem confert corporis macies & pinguedo; hæc enim corpus quaſi pellis quædam tegit, nec tantâ nervorum ac fibrarum copiâ ſcatet, ac reliquæ corporis partes, adeoq; etiam in illâ diutius aliquanto materia venenata latere poteſt, tardiusque per corpus diffundi, quàm ſi macera lædatur pars, nihil habens pinguedinis, multisque abundans venis, nervis fibrisque.

Hinc itaque non mirabimur, alios dicere venenum hocce in Tarantatis, poſt aliquot horas aut dies, alios, non niſi anno præterlapſo, vim ſuam ſortiri; quippe cum illa invicem non pugnent, ſed utrumque veriſſimum eſſe poſſit. Per circulationem enim ſangvinis, quæ intra horæ ſpatium multoties perficitur, prius facilè fieri poteſt; poſterius autem evenire, ſi venenum in muſculoſâ corporis parte multis venis carente figatur; cum hac ratione tam venenum, quàm alia ejusmodi ſemina, non uno ſolùm, ſed pluribus annis in corpore poſſint latere; quemadmodum in aliis caſibus fieri experientiâ docemur.

THES: VI.

Denique jam ſupereſt, ut, cur ſingulis annis malum hoc redeat, inquiramus; cujus rei eandem hic eſſe, ac in aliis paſſio-

nibus intermittentibus, cauſam exiſtimo. Morboſus enim fomes uno paroxyſmo non totus ejicitur & ſubigitur, ſed minutiſſimas quasdam reliquias habet, inſtar fermenti ſe multiplicantes; quæ, etiamſi non niſi exiguæ valde quantitatis fuerint, activæ ſcilicet & penetrantes, illæ tamen æſtivo redeunte calore ſanguineam maſſam fermentare poſſunt, &, humores ad priſtinam efferveſcētiam excitando, ſolitos revocare paroxyſmos, donec tandem nihil noxii, quod ſeminis vicem ſuſtinere poſſit, remaneat.

Thes: VII.

Porro, quod Muſica ad ſaltum ægros hosce adeo inſtiget, mirum nemini videbitur, qui conſiderat ſonum in motu tremulo aëris conſiſtere, quàmq; facilè hic motus obvia quævis corpora penetret atque concutiat; & ſic etiam ſpiritus animales, nervos, muſculos, ſanguinem, ac totam denique corporis organici compagem eodem modo afficiat atque commoveat. Ex ſingulis enim chordarum battutis initio ſuarum vibrationum vehementioribus, ad tactus menſuras ſæpius iteratis; non poſſunt non membra ſingula ſenſim mulceri ac vellicari, adque eundem motum, & denique ſaltum incitari; quod adeo verum eſt, ut experientiâ manifeſtum ſit, non tantùm Muſicum ipſum, & ſingulos juvenes, ſed etiam ſeniores, pedibus, manibus, ore, ac omnibus membris, hunc motum ſoni & ſingulos pulſus in conviviis ruſticorum noſtrorum imitari.

Hîc autem ſilentio mitto, cur Tarantatis conſonantiæ adeo placeant, diſſonantiæ verò minimè conveniant; cur tam exactè tactum obſervare ſciant; cur Muſicam intermitti pati vix poſſint; cur certis melodiis certisque inſtrumentis ſibi proportionatis, non aliter ac duæ chordæ in uniſono aut conſonātiâ perfectâ convenientes, moveantur; quoniam hæc partim notiora ſunt, quàm ut hîc ea memorare opus ſit, partim verò in ſequentibus breviter attingentur.

THES: VIII.

Cauſam verò im̃ediatam & proximam ſanationis eorum, plerumque ſudori adſcribere ſolent Auctores; quod ſcilicet ex ſaltatione, & totius corporis agitatione ortus calor largos expellat ſudores, qui ſecum per poros, non ſecus ac aqua per cribrum effuſa, hærentes quasq; particulas expellens, venenoſam extrahat materiam. Ceterùm licet hanc non damnem ſentẽtiam, nec illa meæ ſit contraria, cùm tamen venenatam hancce vim in ſanguinis efferveſcentiâ ſitam eſſe antea dixerim; hîc eam maximè ob cauſam ſanari eos facilè opinor, quod per immodicas & continuas ejusmodi membrorum omnium jactationes, vehementiſſimus toto corpore oriatur ſpirituum, ſanguinis humorumque omnium motus, unde ſudor poſtmodum expellitur. Hic enim motus, dum magis magisque augetur, præternaturalem iſtam inflammationem tandem vincit, humoresque alio prorſus modo commiſcet ac disponit; adeo ut priorem ſanguinis turgeſcentiam naturali planè ſpirituum humorumque motu commutet, atque ita ægrum ſaluti reſtituat. Eâdem enim ratione cruor anſerinus urnæ infuſus facilè coagulatur, ſed paucis aceti guttis ipſi immiſtis totum octiduum ſine ullâ condenſatione fluidus ac floridus conſervatur; eam ſolùm ob cauſam, quod acetum iſtud alio motu ſanguinem inficiat, aliterq; particulas ejus miſceat ac disponat. Confirmare etiam hanc videtur ſententiam, quod ægri hi ſudorificis non ſanentur; ob disparitatem ſcilicet motuum, qui à ſaltu ac medicamentis proveniunt; quippe cum hæc vix tantâ vehementiâ ſpiritus commoveant, ac ſaltu perficitur.

Eſſent quidem alia hîc multa ſpecialia, & ſingulariter ad hunc morbum pertinentia dicenda, ſed ne ultra limites noſtros vagari, & ea, quæ ad alios ſpectant, tractare videamur, paucis hisce generaliter tantùm adductis ſumus contenti.

CAPUT TERTIUM Muſicum.

THES. I.

HActenus Tarantulam ac Tarantiſmum, ut Hiſtoricæ ac Phyſicæ erant conſiderationis, tradidimus, nihil jam habentes reliquum, niſi ut *Muſicam*, in quâ unicum hujus morbi remedium ſitum eſt, conſideremus. Illam verò tantam in Tarantatis noſtris ſortiri vim, heic non miramur, cum ſoni ac harmoniarum quàm inſignis ſit efficacia, non Poëtæ ſolùm fabularum ſuarum involucris indicent, ſed plurima etiam exempla, &, exceptione omni major, quotidiana documento ſit experientia.

Orpheum enim lyræ ſuæ modulationibus gratiſſimoque nervorum concentu non homines ſolùm ac feras, ſed montes etiam ac ſylvas & inanimata quævis ad ſaltum incitâſſe ex Claud: lib: II. Præf: legimus. Nec aliter de Amphione ab Horatio Art: Poët: v. 394 docemur, quod ſvaviſſimis ſuis modulis mœnia Thebana condiderit, & ſaxa ultrò in munimenta compulerit. Sirenes cantus dulcedine præternavigantium animos demulcerunt, &, teſtante Ovid: Art: Amat: lib: III. v. 311.

voce canorâ
Quaslibet admiſſas detinuere rates.

Simile etiam quid involvere videtur, quod Alexander Magnus à Timotheo Muſico nunc ad arma capienda, nunc ad convivia epulasque celebrandas ſonis muſicis fuerit impulſus, & ab Antigenidâ carmen tibiâ canente ita commotus, ut ſe, quin manus proximis injiceret, continere non potuerit, quâ de re conſ. Scott: Acuſt. pag. 189. Ita quoque teſtatur Maximilianus Miſſon in Itinerario Italiæ Tom: III. pag: 59. fuiſſe Dominam quandam, quæ, cum per años CVI vixiſſet, nullis aliis morborum remediis uſa fuerit, quàm Muſicâ, eamque ob cauſam Muſicum, quem Medicum ſuum vocare ſolebat, aluerit.

Præter hæc labores ac negotia permulta, præſertim quæ per æqualia perficiuntur intervalla, multò facilius tolerari Muſicâ ſimul adhibitâ, ab experientiâ diſcimus; unde etiam in Livoniâ ruſticis mos eſt, ut, dum aut agros metunt, aut in areâ horrei, loco triturationis ligneos induti calceos ſaltatione meſſem exterunt, ſimul tibicinem, (Kubiaſʒen dictum) qui tibiâ utriculari (vulgò Säckepipa) canendo adſit, opusque concentibus levet, adducere ſolent. Heic verò multa hanc rem concernentia exempla conſultò prætereo, quòd ſcilicet non ſolùm infantes nutricum cantilenis facilius ſopiantur, ſed etiam beſtiæ, elephantes, lupi, urſi, canes, aves, piſces aliæque muſicâ moveantur, earumque nonnullæ ad tactum muſicum, pulſumque inſtrumentorum ſaltare poſſint.

Plura jam adducere nolo, Tarantatis noſtris contentus; quibus, quoniam, ut in ſuperioribus indigitavimus, non quilibet, ſed certi ac illis proportionati moduli placent, hìc inquirendum nobis erit, quidnam tam à parte melothetæ ac ipſius Muſicæ, quàm ſubjecti Muſices ſit, quod ſingularem hanc vim ac efficaciam in nobis variè afficiendis, admittat.

THES. II.

Primùm autem *Tactus Muſicus* nobis occurrit, tantùm gratiæ Muſicæ tribuens, ut ſine illo nulli concentus, nullæ harmoniæ eſſe poſſint; illo verò ſolo præſente, & exactè ſervato, effectus planè ſingularis obſervari queat; quod ex tympanis bellicis (Pukor / Trummor) ac caſtagnetis clarum eſt; unde etiam non immeritò à Muſurgis *Anima Muſices* adpellari conſvevit. Tactus autem hujusmodi quoniam duplex eſt, *Spondaicus* ac *Trochaicus*, quorum ille duplâ, hic triplâ proportione incedit, ſumtâ ſcilicet ad diſtinctius percipiendam tactuum differentiam, maximâ, quæ in numeris radicalibus dari poteſt, ratione; ideo jam, quidnam ſinguli hi in nobis variè afficiendis valeant, eſt videndum.

Tactus Spondaicus unicus eſt & ſimplex, in æqualia diviſus intervalla, ſtabilis & tarditati movendæ maximè accommodatus,

datus, omniumque aliarum tactus ſpecierum fundamentum ac norma. Illum enim non tantùm pauſæ in utrâque Tactus ſpecie adhibitæ, ſed etiam fractiones omnes Triplas deſignare ſolitæ reſpiciunt; iis tamen exceptis, quas ab aliis Triplis præcedentibus Practici interdum denominare ſolent. Cantilenæ verò, quæ Trochaico Tactu expreſſæ, triplo paſſu incedunt, mobiles, &, juxta Tactus nomen, choreis ac tripudiis aptiſſimæ ſunt. Harum non niſi tres agnovere ſpecies veterum Muſici, ſcil: $\frac{3}{1}$ $\frac{3}{2}$ $\frac{3}{4}$; quas tamen, pluribus additis, auxere recentiores, ſcilicet $\frac{6}{4}$ $\frac{3}{8}$ $\frac{6}{8}$ $\frac{12}{8}$: quarum ſingulis ſingularem ineſſe vim ex ipſâ praxi audiri facilius, quàm hîc multis verborum ambagibus demonſtrari poteſt. Præ ceteris tamen peculiare quid habere videtur $\frac{12}{8}$, quæ de Spondaico pariter ac Trochaico Tactu ſimul participare videtur: adeo ut paradoxon videri non debeat, *plures ſimul voces eandem cantilenam diverſis Tactus ſpeciebus canere poſſe.*

Horum verò duplam ac triplam rationem non impedit, quod pro unâ aut duabus notulis interdum 6, 8, 12, 16 pluresque ponantur; quippe cùm hoc ipſo non novæ proportiones oriantur, ſed eædem ſolummodo inter ſe multiplicentur, eâdem utrobique ſervatâ ratione, docente Cart: Muſ: pag: 3. Hæ verò notularum *diminutiones* quantam cantilenis afferant varietatem, quantaque ex illis in animis noſtris afficiendis oriatur diverſitas, ut alia jam taceam, *Muſica variata* hujusmodi diminutionibus plerumque conſtans, documento eſt. Cujus rei cauſa adſcribenda eſt ſingulis laryngis in voce humanâ pulſibus, & in nervis, ſæpius iteratis eorum vibrationibus, quæ, ut in principio ſunt vehementiores, ita fortiùs etiam initio ſingularum battutarum ſpiritus animales concutiunt; ideoque quò frequentius impulſus hi iterentur, hòc ſæpius etiam fortiusque impelluntur, ac ad motum eundem inſtigantur ſpiritus animales.

Hinc itaque Kirck: Magn: lib: III. Part. VIII. cap: 2: pag: 764 ſequentem hanc clauſulam ſæpius variatam ac repetitam, ob maximam notularum in illa diminutionem, ſingularem in Tarantatis ad ſaltum incitandis vim habere ſtatuit.



Quod verò jam de diminutionibus eſt dictum, quamque illis adſcripſimus vim; hîc etiam *Tactus velocitati* attribuere tantò dubitamus minus, quantò certius conſtat eandem utrobique eſſe notularum rationem ac valorem, eundemque pulſuum ac vibrationum effectum. Hunc itaque in finem excogitata ſunt à Muſicis ſigna, in Tactu ſpondaico, C ₵ ₵ Φ aliaq; quæ ex practicis videre licet; in Tactu Trochaico fractiones ante exhibitæ; ut nunc ſilentio mittam terminos iſtos artis, *Adagio, Allegro, Lentement, Præſto,* aliosque tactus celeritatem aut tarditatem concernentes, inque nobis inſignem excitantes varietatem.

Jam verò quomodo Tactus Spondaïcus ac Trochaicus, variæque hujus ſpecies adeo diverſos effectus ciere queant, hîc declarare operæ pretium non eſt, cum, præterquam quod tripudia Polonica in Triplas converſa illud luculenter indicent;

idem ex variis cantilenarum ſpeciebus, quæ ſe invicem ſequuntur, nequeat non eſſe manifeſtum.

Præter hæc paucis ſolùm verbis attigiſſe juvabit, quàm variè mentem noſtram afficere poſſit *varia notularum in ſedibus ſuis poſitura*, quam *pedes* Muſici vocant, num ſcil. brevis notula longam ſequatur, an præcedat. Id quod patet ex diverſitate Triplarum, in quas alio modo humaniores & eruditi, alio plebeji cantus Polonicos mutare ſolent. Idem etiam teſtantur tympana bellica, ubi pulſus alio exprimuntur modo, quando prœlium ineundum, alio cum receptui eſt canendum, aut Deo ſupplicandum; quod Rythmo Muſico inferiùs applicare conabimur.

THES: III.


Sequitur nunc ut ad ipſam *compoſitionis naturam* procedamus, pariterque inquiramus, quidnam penes cantilenas eſſe poſſit, quod faciat, ut una aliter nos afficiat, quàm alia, unaq; alterâ magis Tarantatis noſtris arrideat. Illud verò num in hoc vel ipſo conſiſtat, ſpecialiter facilè determinare non poſſumus, quum in ſingulis hisce infinita ſit varietas: generaliter autem dicendo, attendere debemus varium *ſtyli genus*, *conſonantiarum poſitionem* & transitionem ab unâ in alteram, *arſis ac theſis juſtam applicationem*, *diſſonantiarum certas ſedes*, *ſemitoniorum ac cadentiarum commodam collocationem*, totumque demum *Rythmum Muſicum*.

In comparandis autem inter ſe cantilenis, utra alteri ſit præferenda, magisque nobis placeat, audire multò facilius, quàm, in quo præcipuè id conſiſtat, oſtendere poſſumus; quippe cum hanc in rem legibus certis ac ſpecialibus regulis opus eſſet, ad quas ſingulas cantilenas trutinaremus; quales in Muſicâ non reperiuntur, ſed ferè totum ingenio compoſitoris debetur artificium, ut docet Merſ: lib: Harm: VIII. prop: 17.

Nihilominus tamen ſi ad particularia magis pedem promovere velimus, primùm conſiderandi occurrunt *XII Modi Muſici*, quos jam non niſi paucis verbis attingere opus eſt.

Quoniam

Quoniam autem Octavam Quinta & Quarta conſtituunt, ideo ex diverſâ illarum applicatione, ut & Triadis Harmonicæ variâ collocatione, ac ſemitoniorum diverſis ſedibus Modi hi oriuntur; ſed ob duplicatas ſeptem Octavæ Diatonicæ ſpecies 14 forent, niſi duobus ob Tritonum & Falſam Quintam rejectis, non niſi VI *Autentici* & VI *Plagales* jam remaneant, prout ſc. Quinta & Quarta nunc ſuperius, nunc inferius ponantur. Hujusmodi autem Modos etiamſi omni ſuâ vi ſpoliare nolimus, tutò tamen affirmare poſſumus, juſtò majorem iis effectum adſcripſiſſe veterum Muſicos, adeo ut diverſiſſimos in mente excitari poſſe affectus, mutato tantùm tono ſive modo, adfirmârint. Hinc itaque Kircherus Tarantatis noſtris Phrygium modum ac Hypodorium magis, quàm alios arridere exiſtimat, & exinde ſequentes Tarantellas ſuperiùs allatis valde poſtponit.





Non omni vi carere Modos hosce jam modò dixi, cùm tantùm ipſis efficaciæ Merſ: Harm: lib: VI. pr. 24 adſcribendum eſſe cenſeat, quantum ex diæſi & commatibus ſ. ſemitoniorum maximi, medii & minimi differentiâ fluere poſſit, quantumque Tonus Major & Minor in graviori loco poſiti aliter nos afficere valeant, quàm ubi ſecundum aut tertium locum occupant, ut ex Tonorum transpoſitione novimus. Hæc verò utcunque ſunt, extra controverſiam tamen eſt, plurimùm intereſſe, num modulatio per *B durum* aut *B molle* incedat, hoc eſt, num Tertiam in Quintâ inferiorem habeat majorem aut minorem; quippe cum hæc flebilis magis & triſtis, illa verò lætior & magnificentior ſit canendi ratio.

Præter hæc non parum ad rem facere videtur, num unâ aut pluribus vocibus ſimul (vulgò fullſtämmigt) melodia canatur; ſi enim prius, illa maximam partem à compoſitoris ge-

nio & dexteritate dependet, prout ille variâ conſonantiarum ac diſſonantiarum tonorumque commixtione, lætitiam exprimere, aut triſtitiam excitare velit.

Si verò plures ſimul canentes voces reſpiciamus, inſignis in nobis motûs ſpirituum oriri poteſt diverſitas, ex variâ *contrapuncti ſimplicis, colorati* & *floridi* poſiturâ ac differentiâ; ut nihil jam dicam de *variis ſtylis*, quibus melodiæ applicantur, quibusque diverſitas tota, quæ in nobis oriri ſolet, præcipuè debetur.

Silentio etiam prætereo *triplices Figuras, Commiſſuram* ſc. ſeu celeritatem, de qua in Th. ſuperiori, *Syncopationem* & *Fugas* tam *totales* quàm *partiales;* ſicut etiam hîc *Pauſas* nominâſſe ſolùm ſufficit, per quas nunc una tantùm canere, nunc plures ſimul concurrere ſolent voces, ac vehementiori concentuum ſtrepitu ſonum augere; quod terminis *Solo, Repieno* & *Tutti* aliisque practici exprimere conſveverunt.

Ex his jam allatis circumſtantiis eſt, quod, ex ipſa cantuum compoſitione, certæ melodiæ certis quibusdam inſtrumentis ſint aptiores, quàm aliæ: unde alias Violinis, alias fiſtulis (Flöjt=ſtycken)/ alias Teſtudinibus (Lut=ſtycken)/ alias tympanis tubisque bellicis (Puk=ſtycken/ Trumpet=ſtycken) inſervire cantilenas experientiâ conſtat.

Thes. IV.

Tertium, quod in Muſicâ inſignem varietatem afferre, & diverſe nos afficere poteſt, ad varia *inſtrumenta Muſica* referendum eſt, quæ ad tres ut plurimùm à Muſurgis referri ſolent claſſes; quarum prima *chordis* aut *nervis inſtructa* continet, ut ſunt Clavecordia, Cymbala, Teſtudines, Citharæ, Cheles, Pſalteria aliaque; ſecunda *Pneumatica*, quales fiſtulæ ſunt, cornua, buccinæ, claſſica; tertia *Pulſatilia*, Crembala ſc. (Munngigor) Caſtagnetas, Campanas, Tympana bellica & hujus generis alia.

In his verò quoniam duplici modo, per *vibrationes* ſc. aut *undulationes*, ſonus formatur & aer exinde variè modificatur ac movetur, variè etiam organa auditoria impulſa, diverſos ad

 cerebrum

cerebrum motus deferunt, diverſasque mentis cogitationes ac perceptiones ex motibus iſtis excitant, varieque nos afficiunt, ut illud egregiè Cart: Part: IV. Princ: Art: CXC demonſtrat. Ceterùm, licet duplex hæc aëris modificatio multùm in nobis valeat, non tamen exinde omnem à diverſis inſtrumentis ortam varietatem provenire dicimus; quippe cùm illam inſtrumentorum materiæ, formæ, magnitudini, figuræ aliisque circumſtantiis maximam partem deberi nemo non affirmet. Hæc enim ſunt, quæ fortiora aut debiliora reddunt inſtrumenta, ut illa aërem vehementius aut remiſſius feriendo, diverſos in nobis producere queant effectus.

Unde mirum videri non oportet, Tarantatis noſtris varia placere inſtrumenta veneno ſibi infuſo proportionata; alios enim cantu & muſicâ vocali; alios clavicymbalis, teſtudinibus lyrisque; alios ſtrepitoſâ auletarum Muſicâ; alios denique non niſi tympanis, bombardarum exploſionibus, & tubarum vehementi intonatione commotos ex Kirch: Magn: pag: 765 legimus.

Dum verò circa inſtrumentorum verſamur conſiderationem, non diſſimulandum eſt, quantùm in nobis variè movendis valeant varii *nervorum concentus* (vulgò **förſtämningar**); qui ex Violinis, Violis di Gamba, Violonis, Teſtudinibus, Citharis aliisque inſtrumentis ligaturis inſtructis audiri meliùs, quàm hîc verbis exprimi poſſunt. Præterea etiam quantùm ex variationibus muſicis, *latitudinem ſoni* inſigniter mutantibus delectemur, documento ſunt termini iſti Muſicorum *Forte* & *Piano*, per quos ſoni vehementiam nunc intendunt, nunc remittunt; idem ferè etiam præſtatur, quando, nervorum impediendo vibrationes, ſonus eorum ita ſuffocatur, ut inſtrumenta debilem planè edant concentum.

Alias jam omitto hanc rem concernentes circumſtantias, ut ſunt *locus*, ubi concentus fieri debent, *Echo*, *Reſonantia*, *canendi tempus*, *Muſicorum ſitus* aliaque, quæ hîc afferre operæ pretium non eſſe videtur.

THES: V.

Accedimus nunc ad *vocalis Muſices efficaciam* conſiderandam, quæ ex ſermonis & Rythmi metrici vi maximè dependet; horum autem tantam eſſe efficaciam Iſ: Voſſ: de Cant: Poëmat: & Vir: Rythmi in Præf: contendit, ut illis, ſi quis facundus fuerit, quosvis in animis hominum motus concitari poſſe dicat. Hoc verò unde proveniat, ſi inquiramus, *literarum vocumq; diverſitas* nobis occurrit, quarum alias ſonoras magis rerumq; gravitati exprimendæ aptiores; alias verò maximè molles; alias acerbas & bellicoſas, aliasque aliis gaudere proprietatibus conſtat. Unde inter eloquii artes poſtrema non eſt, res graves ac magnificas ſonoris vocibus, leviores autem ſonis tenuibus rerumque naturam magis exprimentibus deſignare; licet me non fugiat vocabula omnia ex hominum arbitrio, non ſuâ ſignificare naturâ, uti hæc omnia in elegantiſſimâ ſuâ de Sermone Humano Disputatione Celeb: Dn. Prof: Bellman eruditè ſatis demonſtrat.

Hinc itaque de Tarantatis noſtris legimus, quòd partim vocum cantilenæ magnificentiâ, partim materiæ varietate, paſſioni ac affectui ſuo accommodatâ moveantur. Ii enim, quibus viridis placet color, verba cantilenæ jucunda poſtulant; quibusque rubri colores aut armorum fulgor arrident, modulationes Martiales, Jambicæ, Bacchicæ & Dithyrambi variè diviſi præcini debent; ſicut etiam qui aquâ gaudent, cantiones molles ac amatorias mirum in modum amant, teſtante Kirch: Mag: p:761. Quamobrem etiam ille cantilenas nonnullas Apulo idiomate hoc in negotio certis melodiis concini ſolitas adducit; quarum unicam tantùm hanc, quæ ſequitur, hìc apponendam duxi:

Allu mari mi portati,	*Ad mare me portetis,*
Se voleti che mi ſanati.	*Si vultis ut me ſanetis.*
Allu mari, alla via:	*Ad mare feſtinetis:*
Così m' ama la Donna mia.	*Sic me amat Amata mea.*
Allu mari, allu mari,	*Ad mare, ad mare*
Mentre campo, t' aggio amari.	*Dum vivam debeo te amare.*

 In hac

In hac verò, ut aliis etiam omnibus cantilenis, quantùm, præter vocum comodum ſonum ac materiæ dignitatem, verborum *quantitates* ac *pedes* valeant, exinde conſtat, quod hi in arte Metricâ idem referant, quod in Muſicâ Tactus; prorſus ut, quod apud Muſicos *notularum valores* variæque *poſituræ*, *conſonantiarum* variæ *ſedes, cadentiæque* ſint; hoc in Metricis per varias *pedum compoſitiones* ac collocationes repræſentetur. Quippe Allemandis, Courantis, Ballettis, Sarabandis, Ariis, Gavottis, Menuettis aliisque Muſicorum cantilenis varia apud Poëtas carminum genera reſpondent.

Hinc itaque inſigni cum differentiâ pro variâ pedum diſpoſitione metra efferuntur, varieq; prolata diverſe organa auditoria afficiunt; quod, ut alios prætercam pedes, Trochaico & Jambico Iſ: Voſſius pag: 9 clariſſimè demonſtrat. Illos enim, ſi contra quàm naturaliter ſonare debent, enunciaveris, uniuscujusq; ſyllabæ malè formatæ ſonus quandam quaſi moleſtiam animæ pariet; immutatione autem factâ, multò gratior percipietur ſonus; de quibus conf: ante laudata Celeb: Prof: de Sermone Diſp: §. 7. Unde eandem hìc pedibus attribuere poſſumus varietatem, quam in fine Th. II: Tympanotribis adſcripſimus; adeo ut pateat Rythmum Muſicum, in cantilenis Tarantatis præcini ſolitis, non tantùm negligi non debere, ſed ſummâ cum curâ obſervari.

Thes: VI.

In ſuperioribus quanta penes ſonum concentusq; harmonicos ſit vis, leviter quidem oſtendere conati ſumus, illi verò ut efficaciæ quidquam habere poſſint, *ſubjectum Muſicæ capax* neceſſariò requiritur. Tam enim variè ac diverſe pro variâ corporis conſtitutione ac ſpirituum diverſitate, quæ in ſingulis alia atque alia eſt, homines Muſicâ moveri experientiâ conſtat, ut hìc *quot capita tot ſenſus* eſſe meritò dicamus, nec Muſico ſit difficilius, Lunam, ut ajunt, de cœlo tollere, quàm melodiam, quæ omnibus arrideat, canere.

Quantùm enim hac in re inter varias *gentes* pro vario cœli genio ac temperamenti diverſitate ſit diſcriminis, experientia

clariſſimè

clariſſimè teſtatur; ut varios jam reticeam *Modos* Phrygium, Dorium, Jonium, Lydium, quorum ſinguli ſingulis placebant gentibus, & ab iis nomina acceperunt. Idem etiam indicant varia *ſaltuum genera* diverſis uſitata gentibus, Hiſpanorum puta, Gallorum, Anglorum, Batavorum, Polonorum ac Svecorum; quorum ſingulis tanta ineſt diverſitas, ut illa unicuique vel leviter experto non poſſint non eſſe nota.

Præter hæc pro *educationis ratione* ac *longâ conſvetudine*, hominum complexiones variantur; ut ex ruſticis patet, qui, ut moribus à nobis differunt, ita diverſas planè à noſtris amant cantilenas; unde Lyram ſuam vulgarem (Nyckelgiga) noſtris violinis eorum nulli non præferunt, & vulgares ſuas cantilenas artificioſis melodiarum noſtrarum compoſitionibus longè antecellere dicunt, contra quàm exiſtimant peritiores. Hinc eſt, quod ad numeros delicatioribus adhiberi ſolitos, ruſtici pedes componere neſciant, rudiorum autem cantilenis, peritiſſimi ſaltandi magiſtri greſſus ſuos adplicare nequeant.



Quapropter cauſa in manifeſto eſt, cur Tarantatis noſtris non artificioſi moduli, ſed ſæpe rudia & velut extemporanea quædam phantaſmata præcinantur; quippe cùm in ſuperiorib⁹ Tarantularum morſu meſſores, hortulanos, ruſticos aliosq; plebeji ordinis homines plerumque infeſtari dictum ſit. Unde appoſita hæcce Tarantella ex Kirchero deſumta, ſicut etiam ſuperiùs tam allatæ melodiæ, quàm cantuum verba Tarantatis præcini ſolita, non artificioſum quidquam continere, ſed ſimplici ac rudi prorſus modo procedere videmus, nec multùm à Julenſibus noſtris ludis (Jul-lekar) & ruſticorum noſtrorum cantandi ratione abhorrent. Sicut melodia pag. 23 allata cantum illum noſtris notiſſimum Jag drog mig öfwer det ſalta Haf/ in initio & fine preſſè exprimit; & alteram ſequentem pag: 24 expoſitam Lyricines noſtri ruſtici frequentiſſimè adhibent. Verùm hæc jam paſſim allata exempla & Tarantellas non ideo appoſuimus, quaſi omnibus Tarantatis hæc præcinantur; ſed ſolùm ut oſtenderemus eo potiſſimùm modo, eoque ſtyli genere, ac hæ ſunt, ut plurimùm compoſitas cantilenas Tarantatos poſtulare.

Hìc verò jam plurimas circumſtantias hominum complexiones mutantes conſultò prætereo, quales ſunt *ſexus* & *ætatis* varietas, varii *animi motus* & *paſſiones*, quibus prout afficimur, variis cantilenarum generibus delectamur. Cujus rei cauſam adſcribimus ſanguinis & ſpirituum animalium varietati diverſoque motui, qui tales in nobis affectus producere ſolent, aſſerente Cart: Paſſ: An: Part: II. Reticeo etiam, quòd, ob ſpirituum majorem copiam, *poſt*, quàm *ante meridiem* captumq; cibum; quando *vino incaleſcimus*, quàm cùm *ſobrii* ſumus, leviores motuique aptiores ſimus ac proniores, adeoque etiam ad ſaltum facilius inſtigemur; unde tritum iſtud originem traxit proverbium: *Nemo ſaltat ſobrius, niſi qui inſanus.*

Thes: VII.

Sic itaque, quando ad Tarantatos cum inſtrumentis ſuis idoneis adveniunt Lyricines in hac arte bene exercitati, atque

hujuſmodi cantiones icto proportionatas, etiam voce ac verbis ſimul adhibitis, continuè canere incipiunt, non adeo mirabimur ægros exinde è ſomno quaſi excitari, atque, pro morbi vehementiâ, ſenſim ad motum, ſaltum, & denique inſolitas corporis jactationes impelli, ac tandem, poſt ſæpiùs iteratas vices hac noſtrâ Muſicâ, & vix ullâ aliâ ratione, poſſe ſanari.

FINIS.

CORONIDIS LOCO.

Lyricines duo C *&* D, *cum duobus Tarantatis* A *&* B *cartis ludebant; quorum* A duplum *perdidit ipſius* B; C *verò* triplò *magis lucrabatur quàm* D: *Juxta autem eorum pactum*, A quartam, B ſextam *damni ſui partem à* C *&* D *recipiebant, qui illam pecuniam reddiderunt, eâ proportione, quæ inter eorum erat lucra. Calculo poſtea inito* D *ipſi* C *dixit: ſi tu mihi des 30 nummos, tum* dimidium *pecuniæ* tuæ, *unà cum* ſummâ *nummorum* utriusque noſtrûm, primum noſtrum lucrum *numero* denario *ſuperabit. Quæritur ſingulorum damnum & lucrum.* Qui Probl: ſolverit, totum habebit lucrum.



Universitetsbiblioteket 2. afd.
Nr. Allé 49 - København N.